Diſſertatio inauguralis medica

de

Pronatione Uteri

poſt Partum,

morbo atroci, nondum deſcripto.

Annexa eſt obſervatio.

Quam

Inclyti medicorum ordinis conſenſu,

pro

Gradu Doctoris Medicinae ac Chirurgiae

summisque in eis Honoribus atque Privilegiis

rite et legitime obtinendis, publico eruditorum examini

ſubmittit

Ludovicus Moeller,

Haſſo - Caſſellanus,

Sereniſſimi Domini Guilielmi, Haſſiae Principis Electoralis, Chiriater, nec non Societatis medico - technicae, quae Hanoviae floret, Collega.

Die III. Auguſti MDCCCIII.

Marburgi,

Literis Kriegerianis.

Serenissimo ac Clementissimo

Principi et Domino

Guilielmo,

Principi Electorali,

Landgravio Hassiae, Principi Hersfeldiae, Hanoviae et Fritzlariae, Comiti Catimeliboci, Deciae, Ziegenhainae, Niddae atque Schaumburgi, rel.

Principi et Domino ſuo

longe Clementiſſimo

Hanc Diſſertationem

quam

pro Gradu Doctorali obtinendo

ſcripſi

ſummma Devotione

D. D. D.

ſubjectiſſimus et devotiſſimus

Auctor.

De

Pronatione Uteri

poſt Partum.

Non fingendum, aut excogitandum, ſed inveniendum, quid natura faciat, aut ferat.

Bacon.

Introductio.

Etſi vel a ſola Hippocratis aetate tempora inumeremus, multo tamen ultra duo millia ſunt annorum, ex quibus medici in obſervandis organiſmi humani vitiis et morbis indagandisque eorum rationibus cauſabus maximam dederunt operam. Igitur cogitamus, quam immenſum hoc ſit temporis ſpatium, et quot millia obſervatorum eximio ingenii acumine protulerit illa permagna medicorum copia, quae intra iſtud temporis ſpatium vitam duxit, facile in opinionem incidere poſſemus, nullam dari morbi formam, quin jam cognita eſſe debe-

ret,

ret, ut adeo morborum catalogus finitus atque perfectus haberi poſſet. Sed quamvis tale judicium ad veritatem accedere prope videatur, nihilo minus tamen medici norunt, quantopere ab eo differant, quae experientia docet. Immo, non neſcimus, non ullum fere decennium praeterire, in quo non novi, ſive antea nondum cogniti, morbi obſervati ſint. Eſt igitur operae pretium, inquirere, quomodo fiat, ut in inveniendis novis numquam finem attingamus?

Hinc minime in errore me verſari exiſtimo, ſi ad problematis hujus ſolutionem duos obſervandi et judicandi modos ſtatuo.

Primum ſcilicet negare nequimus, quod per variarum cauſſarum concurrentiam produci poſſint morbi, qui antea non exſtiterunt.

E contrario autem certe non minus verum eſt, nonnullas morbi formas omni tempore quidem ſuum locum habuiſſe, ſed medicis, raram propter earum apparitionem forſan, nunquam obſervatas fuiſſe.

Notum eſt cuilibet medico, interdum per plurium infauſtorum iniquorumque caſuum congreſſum, perque morum, uſuum vitaeque generis mutationes, morbos oriri poſſe, quorum exiſtentia ante id tempus nulla fuit. Ut exempla allegem, ſolum in ortum luis venereae, qui ſaeculo XV. locum habuit, atque in Typhum icteroden, febrem, vulgo dictam, flavam, quae in America nuper immenſam hominum ſtragem edidit, lectorum attentionem excitabo. Et nihilo minus non negabimus, quod ſpecialiter eaedem ex vitae genere oriundae mutationes tanquam cauſſae praeparatoriae in diverſa organa agere poſſint, ita

qui-

quidem, ut acceſſu cauſſarum quarundam occaſionalium tales producantur morbi topici, quorum natura mechanicae indolis eſſe et in abnormi ſitu conſiſtere poteſt.

Quantum ad eos vero morbos attinet, quorum exiſtentia perpetua quidem fuit, ſed nondum cognoſcebatur, diffilice eſt, de eorum natura diſſerere; et hac ipſa quidem ex cauſſa, quia hactenus nondum innotuerant. Verum pro maxima parte tales ſolummodo eſſe poſſe videntur, qui mechanicis ex mutationibus organorum quorundam naſcuntur, et ſub forma alicujus generalis morboſae organiſmi affectionis latent. Nam, etſi libenter vim, quam vitae genus in diverſa organa tanquam morborum mechanicorum cauſſam praeparatoriam exſerit, admittam, ea tamen non tanta eſſe poterit, ut organi in ſuo ſitu mutationes ingentes efficiat; et vero ſimillimum eſt,

quas-

uasvis ingentes ſitus mutationes, quibus rganum quoddam affici poſſit, ab omni evo interdum locum habuiſſe, ſed vel ob aſus raritatem vel alias ob rationes nunquam inventas fuiſſe.

Ex dictis nunc patet, quae ſit cauſſa, ur morborum index nunquam claudi poſit; et ſi vel omnes tunc temporis exiſtentes norbi cogniti et notati fuerint, attamen Pandorae pyxis (infauſtus plurium rerum oncurſus) aperta remanet, et vero ſimile ſt, futuram miſeriae hominum varietatem n omne aevum non ceſſaturam eſſe.

Res, de qua diſſerui, quomodocunque ſe abeat, verum tamen eſt, *Pronationem Uteri*, de qua hac in diſſertatione agam, talem eſſe morbi formam, quae hactenus, quoad egomet ſcio, incognita fuit; immo morbum eſſe, cujus modum, quo fieri poſſet, nemo ante

hac

hac praesagiebat; et libenter in eruditione artis nostrae versatioribus relinquo, ut judicent: num sit Pronatio Uteri morbus novus, diversarum rerum noxiarum congressu productus, an organismo hominum a perpetuis temporibus quandocunque proprius?

Sententia mea, morbum esse hactenus plane ignotum, in eo fundata est, quod in laboriose perscrutandis numerosis meis libris plane nil reperi, quod pronationi aliquantulo tantum modo simile fuerit. Praeterea summus in re obstetricia peritus medicus, Consiliarius ab Aula supremus, Steinius, nec non Anatomicorum meritissimus Soemmeringius et plurimi medicorum alii, quos hac de re consului, similem casum vel observasse vel de tali unquam audivisse quidquam, haud recordantur.

Sin

Sin nihilominus ſimilis caſus usquam
ſervatus et literis alicubi mandatus eſſet,
ihi tunc quidem inventionis meritum re-
untiandum foret; ea autem veritas reman-
rit, Pronationem Uteri ad ampliórem
edicorum notitiam pervenire mereri.

Organum ceteroquin, de cujus prona-
one hic loquor, jam prae aliis organis ob
orborum mechanicorum copiam eminet.
identur autem ſtructura, ſitus, et officia,
uic organo a natura commiſſa, ſufficien-
s eſſe rationes, cur praecipue tantis ſub-
ctum ſit malis

Medici noſcunt diverſas prolapſus ſpe-
es, inverſiones et obliquitates uteri. Igi-
ur taceo de multitudine morbi formarum
teri noſtro caſui minus cognatarum. Hic
lummodo de retroverſione uteri pauca
iſſerere liceat, eamque ſcilicet ob ratio-
nem,

nem, cum accidere poſſet, ut pronatio reſpectu frequentioris dehinc obſervationis ipſius eandem habere poſſet ſortem.

Cuivis notum eſt, retroverſionem non prius quam altero ſaeculi praeteriti dimidió ad medicorum notitiam perveniſſe. Vel, ut accuratius rem proferam, ſic ſe res habet, ut, ſi prima in medicinae hiſtoria retroverſionis veſtigia indagare velimus, non ultra aevum Gregorii, franco gallici medici obſtetricii, altius aſcendere valeamus. Et hic quidem non talem caſum literis ſuis adnotaverat, ſed unice in praelectionibus ſuis, quas chirurgus quidam anglicus, nomine Wallius, frequentabat, hoc morbo tanquam tali, qui interdum accidere ſoleat, locutus erat. Cum poſtea Wallio in praxi ſua caſus obviam veniret, qui cum illo a Gregorio recenſito multa ſimilia habebat, Dr. W. Hunterum in auxilium vocavit, qui,

cum

um pro tali retroverſione caſum agnoviſſet,
us delineationem magno ſuo de utero gra-
ido operi adjunxit. Vix hoc opus in lucem
rodierat, cum medici attentiores fierent,
t abhinc obſervationes retroverſionis uteri
deo frequentiſſime apparuerint. Hoo-
er, Bird atque Gradshore de illa tractave-
unt in the London medical obſervations
nd inquiries. Evans caſum retroverſionis
the Commentar. of Edinburg P. VI. de-
ripſit. Saxtorph in collect. Havn. Vol.
; Rogert in actis Soc. med. Havn. Vol. II;
an Doeveren in ſpecim. obſerv. acad. Cap.
II caſus retroverſionis protulerunt. Wltc-
k in diſſertatione ſua, quam Pragae ven-
abat, multa de retroverſione dixit; prae-
rea magna caſuum obſervatorum copia in
cem edita fuit, de quibus, ſi placet, in
reximia Richteri Bibliotheca chirurgica,
c non in Ephemeridibus medico-chirur-
cis Salisburienſibus legi poteſt.

Pronationem uteri ceteroquin non injuſte morbum atrocem appellare, exiſtimo; et id quidem non ſolum eam ob cauſſam, quod caſu obſervato horrendiſſimos atrociſſimosque effectus attulerat, ſed magis adhuc propterea, quod perturbationes, quae ea organismo efficiuntur, ſecundum quamvis medicinae theoriam non alios, quam tales effectus, producere poſſunt.

Committo nunc aequo eruditorum veritatemque amantium medicorum judicio, ut decernant: quatenus ex natura caſus obſervati, quem poſtea pluribus verbis narraturus sum, aliquantula medica ſpeculatione adjecta, pronationem uteri, tanquam morbi ſpeciem, recte depinxi; et an prophylaxin; diagnosin et medendi methodum (quoad fieri poteſt), omninoque omnia, quae in hoc tractaculo ea de re eruditis proponam, medicorum deſiderio reſpondeant?

Quid Pronatio Uteri ſit?

Uteri pronatio ea hujus organi mechanica morbi forma eſt, qua inferius illus dimidium (pro maxima parte collum et corporis uteri particula) quoad axin in ſitu (tunc temporis) normali poſitum eſt; ſuperius autem dimidium (reſtans uteri corpus cum fundo) ſic et tam perfecte antrorſum eſt flexum et quaſi incurvum, ut anterior ſuperioris dimidii ſuperficies anteriori ſuperficiei inferioris dimidii incumbat, ex quo ſequitur, poſteriorem dimidii ſuperioris ſuperficiem nunc anteriorem eſſe et verſus abdominis integumenta ſpectare.

Facile perſpicimus, uterum, ut huic morbo aptus natus ſit, non ſolum in quodam ſtatu relaxationis eſſe, ſed etiam majorem longitudinem, quam ſtatu non gravido habet, requirere *).

Sequitur ex his, uterum non alio tempore, niſi immediáte, ſeu breve tempus poſt foetum excluſum, pronationem inire poſſe.

Eſt ergo pronatio uteri puerperarum morbus unice proprius.

Modica corporis humani ſtructurae cognitione opus eſt, ut intelligamus, talem, organi adeo praecipui ſitusque ipſius normalis,

*) Caſu obſervato uterus, uti ex ſectione palam fiebat, pollicum undecim et dimidii pariſienſium longitudinem habuit.

malis, perturbationem non alios, quam pes-simos effectus, tam in organum ipsum, quam in partes adjacentes et cognatas, exserere oportere.

Ligamenta uteri lata omnesque partes illis annexae, tubae, ovaria, non minus quam peritonaei ceteraeque hac in regione degentes duplicaturae, et ut verbo ajam, omnis organica vicinitas detorquetur atque distrahitur premiturque.

Ovaria enim, ex ipsis a natura illis assignato tuto situ, posteriori pelvis excavatione, quasi extracta, semicirculum permigrare coguntur, et nunc heterogeneam positionem immediate sub intestinis assumere coacta sunt, ita ut eorum planities postica jam versus abdominis integumenta spectet.

Vesicae urinariae fundus plus minusve inflexo uteri dimidio superiori comprimi-

 tur,

tur, ſicque veſicae capacitas aliquantulum diminuitur.

Ipſa pars dimidia inferior pondere incumbentis dimidiae ſuperioris premitur; et dum ſecundum mechanicae leges omnis anterior uteri ſuperficies quaſi laxior redditur et abbreviatur, tota poſterior ſuperficies per omnem longitudinem valde expanditur, quo fit, ut non in ſolum in anterioribus uteri partibus, ſed quoque in ipſis reſpondentibus vaginae portionibus continua alatur tenſio.

Forſitan autem omnibus pronationis effectubus recenſitis perturbationibusque deſcriptis, pernicies potiſſimum in eo verſatur, uterum, tali modo inflexum, in normalem extra graviditatem formam et magnitudinem ſenſim ſenſimque redeundi niſui obedire plane non poſſe.

Pro-

Pronationis Uteri Symptomata.

Sectione praecedenti demonſtraſſe in pinione verſor, quales pronationis ope uoad ſitum perturbationes oriantur. Perepimus quoque, tali inflexa et quaſi pliata poſitione uterum normalem extra graiditatem formam et magnitudinem recuerare non poſſe. Si his jungimus, uterum um partibus ad eum pertinentibus et quae roxime illum circumdant (Tubae Fallopianae, ovaria et cetera) ex nervorum yſtemate non ſolum plexus ſpermaticos ccipere, ſed ramos quoque nonnullos lexus epigaſtrici, quibus fila quaedam ervorum ſacralium maritantur, ad eos ccedere; et ſi omnibus his illam adhuc exerientiae veritatem addemus, quod ſaeius leviores partium tendinoſarum et raeſertim nervoſarum, vel ſaltem memranacearum, tenſiones, truculentiſſimas cenas, quibus ſola mors finem ponit, pro-

ducant;

ducant; facile localis et hinc per conſenſum effectae generalis organismi noſtri pugnae ideam acquirere poſſumus, quae oriri debent, ut fere ſuperfluum ſit, ſymptomata ſpecialiter enumeraſſe.

Nihilominus ſequentibus eorum picturam daturus ſum.

Cum, quod ſequentibus monſtrabo, obliquitas uteri antrorſum verſus, quae durante graviditate adeſt, quaſi pronationis cauſſa praeparatoria ſit, jam vel ex hoc dato concluſionem abſtrahere poſſumus, pronationem haud unius momenti opus eſſe, ſed eam poſt foetum excluſum fieri, incipere et forſitan in fesquidiebus adhinc modo perfectam, vel quod idem eſt, eousque provectam eſſe, ut antica ſuperioris dimidii planities anticam inferioris dimidii attingat.

Quo-

Quomodocunque vero haec res ſe habeat, ſymptomatum apparitio ſaltem talem rei decurſum, ut conjecturamus, monſtrat. Puerperae nimirum immediate vel quoque per unum ſeu ſesquidiem poſt partum peractum bene, ut dicunt, valent, et non prius, quam die tertio a foetus excluſione, preſſionem in regione pubis et ſenſationem dolentem atque diſtorquentem, ab ea regione originem ducentem, amboque latera imi ventris occupantem et in femora abeuntem, ipſas cruciare, aſſerunt.

Cum haec mammarum quaedam ſenſatio diſtendens concomitatur, et omnibus frigus levioris febris accedit, inclinamus, quae apparuerunt ſymptomata, pro congeſtione lactis mammas verſus habere; et ad ſummum opinamur, uterum ſimul ex levi inflammationis ſpecie aegrotare.

In-

Interea vero mammae nullum gignunt lac, febriculaque increfcit atque continuae remittentis indolem induit.

Frequens infuper ac vehemens apparet diarrhoea, quacum fimul flatuum copia abit; effectus, quorum origo nervorum confenfui adfcribendus eft.

Dolores et diftorfionis fenfationes imi ventris femorumque, de quibus fupra locutus fum, mox defcrefcere videntur, acerbiores autem paulo poft redeunt. Venter intumefcit et praefertim in antica ac inferiore ejus parte tali modo diftenditur, ut tumor magnae veficae aqua repletae fimilis, tactu quoque non difpar percipiendus fit.

Febris exacerbefcit in typis irregularibus femperque increfcit. Quantum quoque,

que, quoad febris intenſitatem, ab exa-
cerbationibus differunt remiſſiones, pulſus
continuo irritatus atque conſtrictus atta-
men remanet, et haud infra centum nume-
rat in ſexageſima horae parte ictus.

Intrante febris exacerbatione circa diem
quintum dolores imi ventris et femorum
ſubito permultum augeſcunt; accedunt do-
lores lumborum, et praeſertim aegrotae
ipſae, ſenſu doloris cujusdam, quaſi pelvis
omni ſuo circuitu cingulo conſtringeretur,
ſe vexari dicunt.

Ani introitus (ſphincter) et totum rec-
tum contactu ſupra omnem modum ſenſi-
bilia reperiuntur, ita quidem, ut intro-
ductio tubuli ſiphonis, ad enemata appli-
canda uſualis, vix et ſub maximis quidem
doloribus ſufferatur. Venter intumeſcere
pergit, et opinamur, uterum inflatum
tactu diſtincte percipi poſſe.

Alvi fluxus denuo recrudeſcit, vires magis ſemper dilabuntur et circa diem ſeptimum morbi Typhus omnibus ſuis horrendis faciebus apparet. Pulſuum numerus non infra centum eſt intra ſexageſimam horae partem. Vultus valde deformatus, ejusque harmonia turbata ſe oculis obſervatorum praebet. Lingua, quae arida ac fuſco rubri coloris eſt, tremit; labiaque gingivaeque muco nigreſcente obducta reperiuntur.

Sitis inexſtinguibilis, tendinum ſubſultus ſummaque inquietudo adſunt.

Sicut exſpectandum erat, recenſitis ſymptomatibus delirium ſeſe aſſociat, quo phantaſia praeſertim in dolentibus et timorem excitantibus objectis ſe figit. Oritur nunc quoque totius organismi ſenſibilitas omnem modum excedens, ita quidem, ut

ipſa leviſſima alicujus partis corporis, praeſertim vero imi ventris, contactio vehementem aegrotae eliciat clamorem.

Rebus ſic ſtantibus lochia, quae hactenus modice regulariter fluxerant, diminuuntur et mox omnino ceſſant.

Somnus quidem copioſior fit, ſed illius natura plane ſoporoſa eſt.

Affectiones ſpaſticae quarumcunque ſpecierum prodeunt miſeriamque augent. Deglutitio ſcilicet moleſtior fit, reſpiratio difficilis arctaque eſt, pectusque quaſi conſtrictum ſentiunt aegrotae.

Riſus fletusque, cantatus, quin vehementiſſima vociferatio ſeorſim excutiuntur; accidit trismus, hydrophobia, opiſthotonus et alia, omniaque vel plura combinata invicem alternant.

Si aliquando ſymptomatum recenſitorum intermiſſio intrat, mentem degere videmus in ſtatu, qui ſola duntaxat deſperationis idearumque truculentiſſimarum imaginatione produci poteſt.

Ex omnibus praeterea clare patet, ſenſorium commune et cum iſto totum nervorum ſyſtema continuo gravique quodam irritamento vexari.

Facile intelligimus, quod hic irritationis ſtatus alio non ex fonte, niſi ex uteri partium, praeſertim vero illius nervorum, diſtorſione fluere poſſit; atque eſt prognoſcendum, non prius bellum ceſſaturum, niſi ultima incitabilitatis ſcintilla extincta, viresque penitus exhauſtae fuerint; et id quidem eam ob rationem, quia cauſſa, uteri pronatio, non tollitur

Re-

Recensito modo res quoque decurrit. Nam status irritationis ad summam adscendit attitudinem, animique aegrotarum conditio talis fit, qualis ea est, quam germani „verklärt, einen verklärtenZustand" vocant. In vultu summae laetitiae atque felicitatis imago sita est, et omnia, quae prae se ferunt aegrotae, demonstrant, sensus earum qualescunque sint, exaltatione quasi aetherea gaudere. Praecipue autem sensus opticus omnium acutissimus esse videtur. Quodvis enim objectum aliquid duntaxat splendoris praebens, vel sola mediocris hypocausti claritas in aegrotae animo jam summam voluptatem excitare valet.

Praeterea vero vires patientium decrescere semper pergunt. Venter et femora petechiis obteguntur.

Lochia, quae per aliquot dies plane

cessaverant, denuo quidem apparere videntur; est interea non sanguis, sed liquor nigri coloris odorisque lixiviosi, qui interdum duntaxat magna in copia ex vagina prorumpit, flatusque secum ducit. Immediate post quamvis ejusmodi liquoris extrusionem imi ventris intumescentia aliquantulum quidem diminuta videtur, sed brevi tempore iterum repletur abdomen.

Ceteroquin continenter delirant aegrotae, cantantque varias cantiunculas, quorum verba et modulos ex tempore componunt, et qua in arte nunc probe versatae videntur. Sociantque cantus suos continuis manuum gesticulationibus, musicam exercendi idoneis. Mirum est, et notatu dignum, quod, si interdum pausam interponunt, dentes ipsis vacillare querantur; non ita autem res se habet.

Incidunt tandem exhauſtam propter incitabilitatem (quod hoc caſu primum in nervorum ſystemate locum habet) in profundum ſoporem; animae meatus gravior fit et ſonantior et placide moriuntur absque ſpasmorum tumultu. *)

*) Facile perſpici poteſt, me ſymptomatum pronationis uteri deſcriptionem talem praebuiſſe, qualem ad lectum aegrotae, cujus morbi historiam poſtea prolaturus ſum, obſervavi collegique. Certum praeterea eſt, nonnulla deſcriptorum ſymptomatum pronationi non propria, ſed aliis quoque morbi formis communia eſſe. Non minus autem verum eſſe perſuaſus ſum, in aliis, futuro tempore obſervandis, pronationis caſibus, pro aegrotae peculiari natura, unum alterumve ſymptoma repertum iri, de quo in mea deſcriptione nulla facta fuit mentio. Interea opinatus ſum, optimam pro tempore deſcriptionem noſtri morbi conficiendi methodum fore, ſi obſervationem unicam adhuc plane ſequerer atque pro norma ſumerem.

Pronationis uteri caussa.

Ne nimis prolixe rem tractem, hoc capite de qualibuscunque caussis promiscue differam; et itaque nullas, uti saepius consuetum est, speciales divisiones, verbi gratia in praeparatorias, occasionales et proximas, faciam.

Generatim ad pronationem uteri praecipue eae proclives sunt mulieres, quae structura laxa et corporis statu cachectico plus minusve gaudent. Huic classi eae praesertim adnumerari debent, quae vel in juventute scrophulosum morbum passae sunt, vel tempore, quo nostro morbo corripi possunt, adhuc ex scrophulis aegrotant.

Ex harum numero nunc illae praecipue pronationi subjectae sunt, quibus statura humilis et insuper dimensio longitudinis

a

ea pelvis excavatione ad diaphragma usque, ſimul nimis brevis, illa contra dimenſio, at lumborum vertebris usque ad ventris integumenta, in proportione nimis longa eſt. Unde etiam, uti reor, praeſertim derivari debet, cur tales mulieres, dum in utero gerunt, ventre propendente, qui fere ſemper obliquitatem uteri verſus anteriora comitem habet, laborant; quae obliquitas, ſicuti in praecedentibus dictum eſt, iam ad pronationem dimidiam parat viam.

Potiſſima autem, et ut mea fert opinio, maxima pronationis uteri cauſſa in quadam partium genitalium internarum et praeſertim uteri ejusque ligamentorum vitioſa structura ſita eſt.

Haec ad vitia numeranda ſunt ſequentia:

Primo uteri non gravidi ſtructura pro curva. Clare patet, quomodo talis uterus, quando gravidus ſit, pronationi idoneus evadat.

Poſtea huc pertinet uteri ea conditio, qua antica illius paries inaequalis conſtructa eſt; ita quidem, ut circa medietatem transverſam mollior et laxior tenuiorque ſit, quam in reliquis plagis.

Porro uteri niſus contractivus, ſi poſt placentam extruſam languidus eſt, vel plane fere deficit, facile cauſſam praebere poteſt, ut inteſtina abdominis, ſitum priscum reoccupandi tendentes, uterum inflectant, ſicque pronationem efficiant.

Ligamenta lata nimis laxa non minus pronationi anſam praebent. Et teretia ligamenta, ſi nimis brevia ſunt, pronationem

effi-

efficere poſſe, primo intuitu a quolibet perſpici poteſt.

Num ceteroquin pelvis conditio, ejus ſcilicet nimia amplitudo, vel contra ejus nimia anguſtia, vel quaelibet alia a norma aberratio, aliquando tanquam pronationis cauſſa haberi poſſit? mihi neutiquam veroſimile videtur; et id quidem eam propter rationem, quoniam partim morbus noſter non in pelvi ſed potius in abdominis cavo locum habet; partim autem, quia pelvis foeminae ex pronatione mortuae quovis reſpectu normalis reperta fuit.

Silentio interea praetereundum non eſt, quod pelvis nimia inclinatio et ſitus genitalium hinc inde nimis poſterior, qui in ſubjectis humilioris ſtaturae locum habet et propendentiae ventris aeque favet, ac perinaei rupturae anſam praebet, inter

cau-

caufas pronationis uteri occafionales merito numeranda fit.

Nec minus notandum eft, partu perfuncto uteri axin a vifcerum abdominalium, inteftinorum praecipue, actione mirifice mutari, fic ut axis uteri cum axi pelvis fatis acutum intercipiat angulum. Imperio enim uteri in vifcera abdominis quafi fublato, imperium priftinum fibi vindicant inteftina, quo fit, ut uterus jam minus refiftens et flaccidus forfan cedat potiori, dejiciatur antrorfum et pronationi ejus praebeat occafionem opportuniffimam.

Quantumcunque praeterea cauffae fupra recenfitae ad pronationis genefin contribuunt, verum tamen eft, omnium multo frequentiffimam pronationis cauffam in obliquitate uteri antrorfum verfus, quae durante graviditate adeft, quaerendam effe.

Im-

Immo, eſt mihi opinio, ſi nonnullos perraros caſus excipies, omnium ceterarum cauſarum effectus primo uteri obliquitatem poſt ſe ducunt, ex qua deinde pronatio oritur.

Eſt igitur obliquitas uteri verſus anteriora quaſi pronatio ſemi perfecta, vel medietas inter cauſſas praeparatorias atque pronationem perfectam.

Et cum denique talis uteri obliquitas ſemper ventre propendente combinata reperiatur, ſic ut uteri axis cum horizonte quandoque fere parallelo ductu procedat, luculenter patet, quo modo parturientis perverſa tractatio tanquam ultima proximaque pronationis cauſſa haberi poſſit.

Pronationis Uteri Cura.

Symptomata, quatenus fieri poteſt, mitigandi modum hic plane tranſeo, quia therapiae leges, quibus talia docentur, cuivis medico ſatis notae eſſe debent.

De ſola itaque cura ſic dicta radicali, ſeu quod idem eſt, de modo, quo mechanica illa uteri perturbatio in priscum normalemque ſitum et ordinem redigi poſſit, in ſequentibus nonnulla diſſerendi mihi animus eſt.

Eſt veritas, cui nemo aliquid opponere valet, poſſibile eſſe, pronationem incipientem et nondum perfectam a perfectione impedire; ſed perdifficile opus, quod peragi paene nequit, eſſe, pronationem perfectam (ſi ſuperius dimidium inferiori penitus incumbit) tollendi vitioſumque uteri ſitum recorrigendi.

Ne-

Neceſſe itaque eſt, ut principalis nobis ſcopus ſit, eis in caſibus, in quibus ſecundum rationes ſupra prolatas pronatio timenda eſt, omnia adhibere, quae efficere poſſint, ne perficiatur. Huc primo numerandum eſt, ut gravidae ad pronationem proclives jam per graviditatis tempus ſecundum leges artis tractentur. His ſatisfit, ſi gravidae ſuſpenſorium ventris in uſum vocant, decubitumque in dorſo perſaepe obſervant.

Poſtea parturitionis tempore maxima eſt impendenda cura, ne pronatio oriatur; namque eſt haec illa periodus, qua non ſolum neglectu eorum, quae praeſtanda ſunt, pronationis perfectio fundari poteſt, ſed quoque iſtud eſt momentum, quo unica felici manuductione omne malum annihilare valemus.

Sunt autem, quae inter parturitionis actum adhiberi debent, ſequentia:

Situs parturientis ſit reclinatiſſimus per totum parturitionis tempus. Poſtea ſtatim, ut ſecundinae ſecutae fuerint, manus in uterum inmittenda eſt, eaque tamdiu uterus irritetur, donec circa manum ſe conſtringat et eam quaſi expellat.

Sine dubio haec tanquam ſecuriſſima optimaque methodus, pronationem incipientem et omnem ejus poſſibilitatem annihilandi, habenda eſt.

Interdum praeterea accidit, ſinum pudendorum vaginamque adeo dolentem ſenſibilemque reperiri, ut manus inmiſſio nullo modo ſufferatur; et oritur nunc quaeſtio, quid rebus ſic ſtantibus ſit faciendum?

Eſt mea opinio, quod ſit conſultius, alia ſaltem remedia, quamvis dubii auxilii, tentare, quam plane nulla adminiſtrare.

Re-

Remedia nempe, quae tunc in usum vocari possent, sunt: injectio liquoris irritantis atque adstringentis in uterum; exempli gratia: solutio aluminis crudi, vel decoctum corticis quercus refrigeratum; vel decoctum radic. tormentillae, vel pomorum balaustiorum; vel merum vinum rubrum etc.

Regioni pubis simul incitantia diversi generis sunt applicanda; omnia, ut per uteri constrictionem uterus in normalem formam atque magnitudinem, tam cito quam possibile est, reducatur.

Sin vero nihilominus uteri debita constrictio non sequitur, et ideo pronatio semper timenda restat, sequenti modo, uti mea fert opinio, pronatio avertenda erit. Inducendum nempe est specillum resina elastica confectum, digiti ad instar crassum, in

in anteriori parte rotunde obtuſum, et quod ſufficienter longum ſit, tali modo in uterum, donec fundum uteri ſpecillum attigerit; et ſic ſpecilli pars externe eminens femori vinculo quodam, tam laxe autem, annectetur, ut uterus ſe conſtringens ſpecillum facile expellere queat. Hac methodo, uti luculenter patet, impeditur, ne uterus laxus inteſtinis incumbentibus flecti poſſit.

Ponamus autem, quod vel ex nimia parturientis ſenſibilitate partium genitalium haec encheireſis non exequenda ſit; vel quod puerpera in auxilio aliquem habuerit, cui ea, quae de uteri pronatione dixi, ignota ſint; ex quibusnam tunc cognoſci poteſt, num uteri pronatio adſit, nec ne?

Lubens confiteor, non facile eſſe, pronationis praeſentiam recte dignoſcere; et

id

id quidem eo minus, quum ad naturam hujus morbi formae pertinet, dimidium uteri inferius, quod ſolum digitis exploratoriis percipiendum eſt, in normali ſitu reſtare. Interea autem partim ex praecedentibus, partim ex iis, quae ſequuntur, concludi poteſt, num pronatio adſit, nec ne?

Unicus cetero quinreſtat modus, quo lucem his in tenebris acquirere poſſumus, ſi rectum nobis judicium eſt. Immittatur nempe in orificium uteri ſpecillum elaſticum ad morbos urethrae uſuale eousque, donec uterus reſiſtit. Comparetur nunc cavitatis uteri longitudo cum magnitudine laxitateque partis uteri, quae tactu percipitur, et perſpicuum judicium mox videbit, num uterus ſit flexus?

Sed quid tunc, ſi uterum flexum, id eſt pronatum invenimus, conſilii capiendum eſt?

Di-

Diversa capienda sunt experimenta, de quibus secundum theoriam forsitan auxilium exspectari potest. Interea tamen timendum est, quin omnia, quae pronatione perfecta experiuntur, infructuose adhibeantur.

Experimenta, quae ad pronationem perfectam tollendum propono, sunt:

1mo tentetur, num magnum longumque catheterem elasticum et valde flexibilem in uterum plicatum inducere possis. Quando curva hac via fundum uteri attigerit, immittatur in cavitatem catheteris specillum metallicum, quo catheter, antea flexibilis, nunc rigidior fiat, cujusque auxilio, cum se erigit, forsitan uteri pronatio tollitur. — Seu quodsi ejusmodi cathetere flexibili aditus in flexuram uteri pateret, tunc intestino quodam animali obduci posset ille, flatuque

ctuque vel infonti aliquo liquore repleri, ut erigatur reducaturque uterus. Ad inflandum feu replendum autem vel aëre vel aqua ejusmodi apparatum, ingenium fertile ea, quae neceffaria funt, facile fuppeditaret. — Vel fi tandem bacillus incurvus, globulo in extremitate fua inftructus, quamvis non fine omni refiftentia, intrare poffet curvaturam uteri, tunc retorquendus effet bacillus, ut fic redigatur uterus in normalem ejus fitum et formam.

II^do aegra talem ipfis his fub tentaminibus affumat et obfervet fitum, quo thorace humillima, pelvi autem quam maxime alta decumbat. Immo, quaeritur, numne quafi fufpendium in pedes, quem inter actum caput aegrotae aliquantulum fuftinendum effet, in ufum vocandum fit?

III^tium

III^tium et poſtremum, quod propono, problema hocce eſt: numne ſcilicet in caſibus deſperatis venter ſit ſecandus, tali modo, quo ſectionem caeſaream inſtituere ſolemus? Cum hac operatione uterus non volneratur, ſed ſolummodo in normalem ſitum reponitur, exſpectandum eſſet, hanc operationem ſaltem minus periculoſam fore, quam ſectio caeſarea. Attamen artis peritioribus relinquo, ut judicent: quid hac de operatione ſit habendum, ſentiendum?

Sequitur hiſtoria morbi, quae in deſcribenda uteri pronatione tanquam fons et norma mihi inſervivit, quam ad exponendam, ut praemittam antemonita, quibus nonnulla explicantur, opus eſt.

Quilibet, opinor, ſtatim perſpiciet, nondum, qnod morbi hujus diagnoſin atque curam attinebat, pronationis uteri rationem haberi potuiſſe, quoniam hujus exiſtentia non niſi ex ſectione puerperae mortuae primum innoteſcebat.

Morbus itaque tanquam febris puerperarum, qua hic praecipue affectiones uteri quaedam in cauſſa opinabantur, tractata a nobis fuit.

Aegrotae maritus, cum ipſe medicus eſt, primum me die altero poſt partum in auxilium vocaverat; et inſequente die Doctorem Kieſſelbachium, aliquotque dies poſtea quoque Profeſſorem Dr. Wolfartum nobis ad morbum tractandum adjunxit.

Historia morbi.

Uxor amici cariſſimi, medici cujusdam, annos viginti duo et dimidium nata, ſtaturae mediocris, corpulentiusculae et optime proportionatae, coloris ceterum in facie pallidi, jam, cum vix in vitam edita fuiſſet, hoc infortunium experta eſt, ut matre nasceretur, quae non ſolum per omnem graviditatem, ſed etiam per ſex inſuper menſes poſt partum ex ictero valde aegrotaverat, elapſisque his ſex menſibus tandem e vita diſceſſa, ad ultimum momentum usque neonatae mammas praebuerat.

Adverſis his rebus ſine dubio adſcribendum eſt, quod aegra noſtra ab ortu quaſi infirmiori corporis conſtitutione laboraret et in primis jam vitae annis ſcrophuloſo morbo corriperetur.

Prae-

Praecipua hujus morbi ſymptomata
nostro in caſu erant: intumescentia et ſub-
ſequens exulceratio glandularum, praeſer-
tim earum, quae in collo ſitae ſunt, con-
tinuique capitis achores. His acceſſit an-
no vitae x perpetuus fere capitis dolor
atque proclivitas, a quavis phyſica vel
intellectuali cauſſa, praeſertim autem ti-
more vel terrore, in profuſiſſimam inci-
dere diarrhoeam.

Anno decimo ſexto, cum menſtruatio,
quae quidem parca, regularis tamen ad
conceptionem usque ſequebatur, apparé-
ret, ſcrophuloſus morbus cum omnibus ſuis
ſymptomatibus ſenſim ſenſimque diſparuit;
ita quidem, ut anno decimo octavo plane
jam diſceſſiſſet.

Reſtabant tamen ad alvi fluxum procli-
vitas capitisque crebrior dolor, qui in-

ſuper oculorum debilitatem ardoremque micantem ante eos comites habebat. Stomachus quoque dolebat maleque digerebat.

Anno decimo nono aetatis matrimonium inivit. Evidenter tunc animadvertebatur, hunc ſtatum benignum non adverſum in corporis conditionem exſerere effectum; nam multum diminuebantur capitis dolor, oculorum debilitas et ventriculi infirmitas; ita quidem, ut in genere valetudine fere integra frueretur.

Poſtquam tali modo duorum annorum cum dimidio ſpatium erat elapſum, gravida facta eſt. Primo tempore nulla inde valetudinis mutatio percipiebatur. Duobus menſibus vero elapſis aegrota ſe foetum in ſolo dextro coxae latere ſentire dicebat, quo etiam tumor per duos ſequentes menſes creſcens deprehenſus fuit. A quarto autem

tem menſe hoc ſeſe ita commutavit, ut tam tumor quam a foetu ſenſus in oppoſito, ſiniſtro quidem latere; perciperetur.

In ulteriori graviditatis decurſu, praecipue vero a ſeptimo menſe, uterus verſus anteriorem ventris partem ſeſe proclinavit, ſic, ut venter oriretur, quem propendentem vocant. Praeterea ſequentia adhuc ſunt notatu digna: Motus embryonis, quem minime, ſicut in eis, quibus venter propendet, ſolemne eſt, extra ventrem, ſed intra eum ſentiebat, valde dolorificus erat, praeſertim in ultimis graviditatis hebdomadibus. Hanc ob cauſſam, ac praecipue ob ventris propenſionem in ultimis graviditatis menſibus ſitum horizontalem in dorſo perſaepe in uſum vocavit.

Ceteroquin per omne tempus, quo in utero geſſit, tanta adfuit partium genita-

lium externarum dolens ſenſibilitas, ut nullo modo eſſet perſuadenda, ut ſe explorationi neceſſariae ſubjiceret. Haec ſenſibilitas quoque per inſequentem parturitionis actum, quin etiam post partum, perduravit, ſic, ut obſtetrix vix et ne vix quidem auxilium, quod neceſſe fuiſſet, manibus praeſtare valuerit.

Rebus ſic ſtantibus terminus parturitionis advenit. Die XXVIII Nov. 1802, cum per octo circiter dies antecedentes veſpertino quovis tempore dolores ſpurii locum habuiſſent, dolores ad partum inceperunt, et ad veſperam, paulo poſt octavam horam, partus, filia ſana, editus fuit.

Durante parturitonis labore ventris propendentis cauſſa ſitus reclinatus, ſecundum artis leges, fuerat obſervatus; ſed nihilominus quovis dolore ad partum ingruente

ente regio umbilicalis in forma coni extrudebatur. Secundinae mox ſponte ſequebantur; ſanguinis fluxus parcus erat, et omnis labor feliciter finitus videbatur.

Praecautionis cauſſa fascia idonea circa ventrem adplicata eſt.

Puerpera nunc bene, ut ajebat, ſe habuit. Namque nullos ſentiebat dolores, et placide dormivit per omnem noctem inſequentem.

xxix. *Novembr.* Puerpera ſupra omnem exſpectationem bene ſe habebat. Lochia bene et ex voto fluxerunt; appetitus fuit bonus, neonataeque mammae praebebantur.

xxx. *Novemb.* Nocte peracta minus bene valebat puerpeta. Sub decimam horam matutinam febricula oriebatur, et le-

vis

vis ſenſatio doloris in imo ventre, dolores poſt partum adfectans, percipiebatur. Interea autem febricula dolorque ſenſim aucta ſunt, ſic, ut aegrota veſperi diſtinctius de ſede doloris vexantis, referre poſſet. Adeſſe ſcilicet, ajebat, preſſionem in regione pubis, et dolorem diſtorquentem, ab ea regione originem ducentem, utrumque in latera atque femora abeuntem. Venter praeterea proportionaliter reperiebatur collapſus, non tenſus et minime dolebat, niſi locis vix recenſitis.

Ceterum adhuc inveniebantur in ambobus hypochondriis infra cutem tumores glanduloſi pugni magnitudine, quorum etiam veſtigia jam ſub finem graviditatis obſervabantur.

Cum ſymptomata haec ſemper increſcerent, nec mammae tamen intumeſcerent nul-

nullumque continerent lac; ideam, de ſymptomatibus lactis naſcentis, commutavimus, et nunc certiores facti ſumus, febrem ceteraque ſymptomata ex affectione morboſa imi ventris ortum trahere.

Sequentia hinc medicamenta fuerunt praeſcripta:

R. Rad. Valerianae ſylveſtris unc. unam.
infunde ▽ae ebull. q. ſ. ſtent per decimam horae partem in digeſtione.
Colaturae unciarum ſex admisceantur.
Spir. ſulphurico aetherei Drach. unam.
Syrupi Valerianae Semunciam.
M. S. capiat aegra omnibus $\frac{3}{4}$ horae cochleare unum.

Imo ventri ſequentis tincturae aliquid ſaepius fuit infricatum.

Rc. Tincturae opii crocatae Sesquidrach.
Olei caryophyllorum Drach. dimidiam
♌ Lavendulae Sesqui unc.
M. S. ad uſum externum.

Ene-

Enema quoque ex infuſo ſaturato radicis Valerianae applicabatur.

Inſecuta eſt alvi foeculenta dejectio. Dolores febrisque aliquantulum diminuebantur et ſomnus mediocris apparuit.

Die I Decemb. Matutino jam tempore, hora ſcilicet tertia, diarrhoea oritur, quacum flatuum copia expellitur. Hic alvi fluxus tam vehemens frequensque evadit, ut intra horarum trium ſpatium jam duodecim dejectiones ſeroſae locum habuiſſent. Laudanum in uſum vocatur, et mucilaginoſa, laudano combinata, in rectum injiciuntur ad ſymptoma hoc periculoſum ſedandum.

Ceſſat quoque alvi fluxus, ſed novum ſe offert infortunium, quod autem pro malo acceſſorio, uti noſtra ferebat opinio, habendum erat. Aegrota nempe, ſe praeter dolo-

dolores jam deſcriptos alios quoque in genitabilibus externis ſentire, queritur. Interrogabatur nunc denuo obſtetrix: numne in parturitionis actu perinaeum ſit ruptum? Negat quidem; ſed cum ſcivimus, nimiam ob aegrotae ſenſibilitatem partium genitalium, manibus non rite uti potuiſſe, rupturam conjecturamus, et propterea, ut certiores fieremus, inſpectionem inſtituere nobis animus erat. Sed puerpera nimium et intempeſtivum propter pudorem ſe nullo modo huic ſubjicere voluit.

Denique vero, cum dormiret, inquiſivimus, et, uti conjecturaveramus, ruptura perinaei, pollicum duorum profunda et in vaginam aſcendens, ſe oculis noſtris praebuit. Cataplasmata, fomentationes, injectiones, omniaque quae ars exigit, ſeorſim in uſum vocata fuerunt.

Taceo de morbi ulteriori decurſu. Nam enumerationem eorum, omni jure tranſire debere opinor, quia in praecedenti ſectione, in qua de ſymptomatibus uteri pronationis agitur, veram picturam eorum, quae durante hoc morbo ſucceſſive locum habuerunt, dedi.

Hoc tantum adhuc referre debeo, quod omnia, quae ſecundum artis noſtrae leges in febre puerperarum, ex morboſa uteri affectione oriunda, qualem morbum noſtrum exiſtimavimus, in uſum ſunt vocanda, ſenſim applicaverimus. Neque enim defuerunt neceſſariae imi ventris fomentationes, cataplasmata, innuctiones, infricationes, nec injectiones, quas ars exigit, in uterum; et potiſſima quoque medicamenta interna, uti opium, moſchus, camphora, ſpiritus ſulphurico aethereus, valeriana, arnica, ammonium, ſuccinum cum aliis neceſſariis adhibita ſunt, ſed haec omnia

ia incaſſum; nam morte erepta eſt aegro-
a noſtra nono die menſis decembris, unde-
imo itaque die poſt partum *).

Sec-

*) Unum narratu dignum ex morbi hiſtoria mihi reſtat, muſices nimirum mirabilem animi perturbationes ſedandi effectum. Poſt meridiem nempe diei 8 Dec., poſtquam aegrota jam ſaepius cantaverat, et cantu, quia fervido animo fiebat, vires tam neceſſariae valde exhauriebantur, omnia ſenſim, hanc animi perturbationem ſedandi, fruſtra experti ſumus. Denique proponitur: numne muſica ipſa, tanquam aliquid homogeneum experienda ſit? Ad id, quod propoſitum eſt, deſcenditur, et muſicus cum tetrachordo intrat. Vix primi hujus inſtrumenti ſonitus auditi percipiebantur, cum aegrota noſtra ſtatim obmutuit, et retenta reſpiratione vultuque hilari dulces gratosque ſonos hauſit Cum ex ea quaereretur, num muſica perſeverare deberet? affirmavit, quamquam ſoporoſi ſui ſtatus cauſſa ad nullam aliam qualemcunque quaeſtionem reſponderet. Denique ſucceſſive muſices ſoni, ut ceſſarent, curavimus, et im-

S e c t i o.

Ut extra nos, qui morbum tractaveramus, alii insuper medici et quoque chirurgi inter sectionem praesentes, eorumque, quae inveniri possent, testes essent, invitati adhuc fuerant: Dr. Klauholdus, consiliarius ab aula; Dr. Aubelus, Professor; Dr. Maurerus, Chirurgique Wiechmannus, Breidenbachius et Otto.

Sequentia nunc se oculis nostris praebuerunt: Venter ingens et tamquam vesica inflatus, petechiis aliisque maculis lividis fuit obtectus.

Ex vagina liquor ille niger coloris odorisque lixiviosi effluere perseveravit.

Rup-

immediate post sonorum exstinctionem aegrota denuo cantare incepit, quod autem statim medicamento nostro aethereo ad silentium reducebatur, sic, ut placidum tandem in somnum incideret.

Ruptura perinaei vaginaeque portionis suppurabat; in ſanatione autem nullos fecerat progreſſus, ſphaceloſae aliquantulum potius fuit conditionis *).

Sphincter ani praeterea minime repertus eſt laeſus.

Venter nunc apertus fuit.

Omentum fere nullum aderat. Inteſtina aëre valde erant inflata; ceterum optimae conditionis et neutiquam inflammata reperta fuerunt.

Uterus, ſingulariter formatus, ſe pone oſſium pubis ſymphyſin oculis praebuit. Namque videbatur valde latus, obtuſus et tamen in proportione nimis brevis.

Ab utraque uteri parte, immediate ſub integumentis diſſectis et replicatis, duo ſita erant corpora oblongo-rotunda albidaque.

Di-

*) Hoc non aliter ſe habere poterat, cum vires exhaurirentur per totius organismi morbum, et plane denique ceſſarent.

Deligens inveſtigatio docuit, haec corpora, licet loco incongruo, ovaria eſſe. Et uteri ſingularis forma inde orta erat, quod dimidium ejus ſuperius ita antrorſum erat plicatum, ut ſuperficies anterior dimidii ſuperioris ſuperficiem anteriorem infererioris dimidii penitus, quoad veſica urinaria id concedere poterat, contigerit.

Veſica urinaria reperta fuit magna, vacua, paulum inflammata et omnibus fere partibus adjacentibus concreta.

Syſtema partium genitalium, ad accuratiorem ejus perſcrutationem, lege artis nunc fuit exſciſſum.

Uterus, ſemper antrorſum ſe replicare tendens, lagenae oblongae inſtar fuit, et in ſtatu non plicato undecim cum dimidio pollicum pariſienſium longitudinem habuit. Superius praeterea dimidium ſanum videbatur,

atur, inferius autem accurate ab illo ipſo loco, quo uterus plicatus erat, omnisque vagina valde fuerunt inflammata.

Uteri orificium molle et laxum fuit, patuitque ſic, ut digitus facile poſſet immitti.

Ruptura in vaginam aſcendens non profunda quidem, duos pollices autem et dimidium longa, fuit.

Diſſectus praeterea uterus, cujus capacitas magnitudini ipſius proportionalis erat, nulla notatu digna praebuit, niſi, quod plane vacuus reperiretur, et quod locus, quo placenta fuerat ſita, adhuc evidenter poſſet perſpici.

Ovaria denique diſſecta quoque inflammata inveniebantur, in quo ſtatu non minus alae veſpertilionum et ligamenta uteri in genere ſe habebant.

Tanquam minus ceteroquin ſcitu digna ſunt ſequentia:

Tumores glaudulosi in hypochondriis siti cultro anatomico quem tales cognoscebantur.

Ventriculus quovis respectu in normali fuit statu.

Renes pergrandes, sed bonae conditionis, erant.

Glaudulae mesenterii omnes fere, plus minusve, reperiebantur tumidae.

Splen, hepar et vesica fellea in statu fuerunt normali, nisi, quod vesica fellea bile turgebat.

Theſes.

I.

Naphthae externe tamquam medicamenta incitantia falſo adhibentur.

II.

Hydrargyri praeparata Luem in temperatura frigida ſanare nequeunt.

III.

Nomenclatura medicamentorum, in Pharmacopoea Boruſſica noviſſime obſervata, nomenclaturis antiquis praeferenda eſt.

IV.

Medicamenta extra vim incitantem aliis insuper qualitatibus gaudent.

V.

V.

Calor duplici modo in organismum agit; incitabilitatem nimirum magnopere incitat, fibras autem relaxat; et vice versa: frigus incitabilitatem minus incitat, sed fibras magis constringit.

VI.

Rationalis compositio plurium medicamentorum non ubique rejicienda est.

VII.

Syrupus Diacodion virtutibus opio propriis gaudet.

VIII.

Inter vomitionem decubitus in latere sinistro omnibus aliis corporis positionibus praeferendus est.